

arbitrio Confessarii, vel urgente Ecclesia, ager, via, aut alius qui-
necessitate eligitur ad confessionem cumque.
audiendam, et potest esse domus, Ob variam citatorum verborum

nisi prius cl. Rota probet, unica loca destinata ad audiendas confessiones illa esse in quibus excipiuntur confessiones Sanctimonialium; si enim alia sint, ut certe sunt, iam ex eo quod suprema Inquisitio decreverit, loca destinata ad audiendas Sanctimonialium confessiones esse habenda ut vera confessionalia, nullo pacto sequitur habenda esse uti vera confessionalia reliqua omnia loca destinata in quibus Sanctimonialium confessiones non excipiuntur; quandoquidem de unis locis destinatis ad excipiendas Sanctimonialium confessiones locuta suprema Inquisitio est.

At perpendamus aliquam rationem ab R. Archipresbytero adductam *loc. cit. pag. 177. n. 294.* « Quod autem Confessionalia, scribit, non distinguantur a locis » *destinatis* ad confessiones constat ex ipsa rei essentia. Nam si essentia proprie est id, quod significatur per definitionem... quae est definitio confessionalis proprie sumpti? Si quid video, haec est: *Confessionale est locus ad confessiones » destinatus.* Dicitur autem destinatus cumulative, tum ob formam quam prae- fert, tum ob habituales usum ibidem excipiendi confessiones ».

Si igitur confessionale est locus ad confessiones destinatus, quoniam definitio converti cum definito debet, et uni et soli convenire definito, vera erit sequens propositio: *Locus quilibet ad confessiones audiendas destinatus est confessionale.*

Sed hoc in casu quo abit definitio confessionalis ab ipso cl. auctore tradita *loc. cit. pag. 177, n. 193:* « *Confessionale* est velut iudicis in foro Sacramentali » cathedra, et est cellula lignea iuxta cuiusque Dioecesis Synodales praescriptiones » extracta, et ordinario, saltem pro mulieribus, habens laminam ferream ex utraque » parte ipsius cum foraminibus parvis, quaeque in Ecclesia collocatur? » Etenim cum eiusmodi definitione locus quilibet ad confessiones audiendas destinatus converti non potest. Definitio igitur allata ab R. Archipresbytero insufficientis est, cum in ea desit forma extrinseca confessionalis, quod ita nominatur nedum quia in eo confessiones excipiuntur, sed etiam quia talem habet structuram. Revera si quempiam quis interroget ut dicat quid sint cellulae illae lignae in Ecclesia positae etc? Respondebit profecto; sunt confessionalia; sed si eundem quis interroget: quid sint subsellia in sacristia cum imagine crucifixi, vel cellulae prope Ecclesiam etc.? non respondebit profecto esse confessionalia, sed vel loca ad agendam praeparationem pro missa, vel aliquid aliud, quamvis et illud affirmare possit, iis in locis etiam confessiones audiri. Differentia igitur inter Confessionale, et locum destinatum ad audiendas confessiones haec est; quod confessionale et propria forma constat, et in Ecclesiis collocatur, et unice ad confessiones audiendas destinatur; loca autem destinata propria forma nec constant, nec unice ad confessiones audiendas destinantur, nec in Ecclesiis existunt.

Definitio ergo tradita cum manca sit, et tantum ex fine concinnata qui extensive non est identicus cum fine Confessionali praestituto, cum in hoc confessiones tantum audiantur, non item in aliis, non potest inducere probabile argumentum ad demonstrandum unam eandemque rem esse Confessionale et loca ad audiendas confessiones destinata. Ab expendendis argumentis, quae deducit ex tradito supremae Inquisitionis decreto supersedemus, cum nobis (hoc autem dicimus cum

interpretationem gravissima hoc in loco exurgit quaestio, in quam pro nostra mediocritate inquirere debemus.

S. Alphonsus *lib. VI, n. 680* affirmat verba *cum simulatione au-* *diendi ibidem confessionem non re-*
ferr ad confessionale, sed ad alium locum ad audiendas confessiones destinatum aut electum; consequenter in locis destinatis et electis ad audiendas confessiones utique re-

summo erga cl. auctorem respectu atque animi extimatione) nec vera, nec solida videantur.

Neque felicior nobis videtur, in dissolvenda gravissima illa difficultate (quam nos potiori iure solidissimum argumentum vocamus), quam sibi his verbis proponit. « Sed fortasse respondebis: cur ergo in Bulla post particulam *in Confessionali* additur illa, *sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato?* Etenim si confessionale et locus destinatus idem sonant, redditur otiosa haec secunda particula. »

Quam difficultatem ita solvit: « Respondeo, minime reddi otiosam particulam illam, quia maioris declarationis, et omnis tollendae dubitationis gratia adiecta fuit... In casu nostro confessionale est velut *genus*, et *loca destinata* sicut et *loca electa* ad confessiones, (nam et ista, dum ibi fit confessio, sunt vera confessionalia), sunt quasi species eiusdem, idecirco particula, quae speciem exprimit, et in genere continetur, recte addita fuit; poterat enim quis, si Legislator ipse non explicasset sensum vocis *confessionale* iudicare, quod in poenalibus non veniant loca destinata vel electa sub voce illa. »

Attamen hac in responsione Rūdus auctor id respondet quod prorsus in quaestione versatur; quaestio enim est; an legislator per *loca destinata* intellexerit quid a confessionalibus diversum, vel unum idemque; ipse autem respondet, a Legislatore per particulam sive *in alio loco ad audiendas confessiones destinato* explicatum fuisse sensum vocis *Confessionalis*. Sed hoc est quod probari oportebat. Difficillime autem, nostro iudicio probatur, inter alia, ob verba in *alio loco*; si enim alius locus, ergo non confessionale; si enim confessionale in alio loco positum, iam erat confessionale et non alius locus; quandoquidem hoc in casu dictio pontificia sequenti acq[u]ipolleret: *in confessionali, sive in confessionali posito in alio loco et destinato ad audiendas confessiones*, quae inutilis repetitio foret, et suspicionem ingereret adesse confessionalia ad audiendas confessiones non destinata. Nescimus autem an quemquam lateat, confessionalia loca esse ad confessiones excipiendas destinata, ita ut Legislator compulsus fuerit illorum significationem explicare.

Equidem Rūdus auctor respondere posset: sed si ita est, quare loca destinata ad excipiendas confessiones in Monasteriis, *Conservatoriis, Ritiri* a suprema Inquisitione uti vera confessionalia declarata sunt? Ad quod respondebimus, quia loca illa unice ad excipiendas Sanctimonialium confessiones destinata sunt de superiorum sententia, neque enim vel in Ecclesia, vel alibi Sanctimonialium et virginum aut mulierum degentium in Conservatoriis etc. confessiones excipiuntur, et quia habent formam verorum et proprie dictorum confessionalium cum habeant *laminam ferream cum parvis foraminibus*, ideoque ex institutione, forma et usu, optime suprema Inquisitio declarare potuit, ea vere esse confessionalia. Id autem tantum de locis praedictis declaravit, non de aliis, quae non pauca certe sunt.

quiri simulationem confessionis, non autem in confessionali, in quo satis est ut sollicitatio utcumque fiat, quo denunciationis onus poenitenti imponatur. « Dicimus, quod si Confessarius sollicitat in aliis duobus locis ut supra in Bulla descriptis, requiritur simulatio confessionis ad eum denunciandum; non vero si sollicitat in Confessionario. Et hoc probatur ex Decreto Pauli V, ubi sic dictum fuit: *Die 10 Iulii 1614. In generali Congregatione S. Rom. et univ. Inquisitionis coram SS. Paulo Papa V. facta relatione quod multi confessarii tractant cum mulieribus in Confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis: Sanctissimus decrevit, ut contra huiusmodi Confessarios procedatur in S. Officio.* »

« Cum igitur nulla ibi mentio fiat de simulatione confessionis, ad denunciandum Confessarium sufficit, quod ipse in Confessionali de rebus turpibus tractet, quin simulet confessionem autem dire. »

Atque pro sua sententia S. Doctor non paucos, eosque graves auctores citat.

Hisce a S. Alphonso adductis argumentis citatae sententiae defensores addunt apud Giraldis *loc. cit. pag. 637, 638* ex lege tum Gregorii XV. tum Benedicti XIV satis apparere eiusmodi distinctionem, cum distinguant per particulas aut

et sive sollicitationem factam in confessionali ab illa quae facta sit in loco ad confessiones audiendas destinato aut electo; cum vero membra orationis distincta sunt, clausula finalis ad postrema membra referenda est; consequenter simulatio confessionis unice ad locum destinatum aut electum applicanda est, non ad confessionale.

Manifestum insuper est, in Confessionali per se iniuriam Sacramento poenitentiae irrogari, cum ad administrandum sacramentum poenitentiae proprie deputatum sit; ideoque non esse necessarium ut in eo simuletur confessio: sed satis esse ut utcumque sollicitatio committatur: sed in locis destinatis aut electis eiusmodi iniuria per se non habetur, cum ea etiam ad alia negotia deputata sunt; consequens hinc erat ut a legislatoribus simulatio confessionis necessario indiceretur, ut patesceret iniuria quae uni Sacramento Poenitentiae irrogatur.

Hisce tamen posthabitis alii sunt doctores qui contrarium sentiunt, scilicet particulam *cum simulatione audiendi ibidem confessionem* referri etiam ad confessionale, ideoque Confessarium de sollicitatione non esse accusandum nisi in confessionali simuletur confessio. Porro inter antiquos eiusmodi sententiam defendunt Cardinalis Cozza, Salmanticensis, Pignatelli, Roncaglia, Giraldis, aliique: inter Pianae Constitutionis Commentatores, Patavinus,

Reatinus, Ballerini, De Varceno, et alii.

Horum autem sententiam amplectendam esse dicimus tum propter intrinsecas rationes, tum propter concordiam quam servat cum a Suprema Inquisitione latis in re decretis, tum quod contrariae sententiae argumenta solida non videantur.

Et quoad 1. Regula iuris est quod clausula posita in fine referenda sit ad omnia praecedentia, nisi aliqua vel evidens vel saltem probabilis ratio contrarium suadeat. At manifestum est, in citatis locis extractis ex Constitutionibus Gregorii XV et Benedicti XIV. clausulam *cum simulatione audiendi ibidem confessionem* positam esse in fine orationis; referenda ergo est ad omnia antecedentia, scilicet ad confessionale et ad locum destinatum vel electum ad confessiones audiendas. Neque ulla solida ratio apparet, quare ad una loca destinata vel electa, excluso Confessionali, referenda sit; etenim disiunctiva sive innuit tantummodo locum a confessionali diversum, non modum diversum quo sollicitatio peragenda sit, ut denunciari queat; atque de cetero in ipso Confessionali optime, imo potiori apparentia, simulari confessio possit; qua ergo ratione a confessionali simulatio confessionis exclusa a legislatore dicenda est? Profecto relata Pontificum sententia huic alii aequivalent: *Et etiam illi Sacerdotes qui*

extra occasionem confessionis aliquem sollicitare ad inhonesta et turpia tentaverint vel in confessionali, vel in alio loco etc. cum simulatione audiendi ibidem confessionem: in quo nulla esse potest dubitatio quin clausula cum simulatione etc. ad utrumque membrum referatur. Hunc autem esse verum sensum etiam ex eo patet quod Romani Pontifices in cit. loco sermonem non habeant neque de occasione, neque de praetextu confessionis, de quibus supra egerant: peccatum vero huiusmodi puniri ob relationem ad Sacramentum poenitentiae: At si ab Confessionali dematur etiam simulatio confessionis, peccatum istud horrendum nullam habet ad Sacramentum poenitentiae relationem, ideoque puniretur peccatum ultra legem, mentem et finem quem legislatores sibi praestituerant; quod non est admittendum.

Verum dubia sit eiusmodi expositio: quid inde? nonne in casu lex esset dubia, quae consequenter non obligat? Dicemus, dubium esse practicum? At in dubio practico quod minimum est tenendum. Cum vero minimum sit, denunciandos esse confessarios extra confessionem in confessionali simulantes confessionem, hanc sententiam amplecti deberemus, non aliam quae gravior est.

De cetero haec etiam, fuit mens magni Benedicti XIV, prout refert Giraldis *loc. cit. pag. 638.* « Item

» constanter aiebat (Benedictus XIV)
 » etiam clausulam illam Bullae Gre-
 » gorianae: *sive extra occasionem*
 » *confessionis in confessionario*,
 » esse intelligendum copulative, ac
 » connexive ad eam: *simulantes*
 » *ibidem confessiones audire*, ut
 » prò certo testificari adhuc pos-
 » sunt plures, qui eo tempore Exa-
 » minatoris munere fungebantur Bo-
 » noniae. »

Id vero conforme magis, imo
 absolute, reperimus cum decretis
 latis a S. Congregatione S. Officii.
 In citata Instructione enim anni
 1661 quaestioni XV: « An sit de-
 » nunciandus Confessarius qui se-
 » dens in Confessionario sollicitat
 » mulierem stantem ante Confessio-
 » narium, non simulando confes-
 » sionem? Eminentissimi Patres re-
 » sponderunt: *Consuerunt opinio-*
 » *nem negativam non carere proba-*
 » *bilitate.* »

Ergo ut eiusmodi confessarius
 denunciandus sit requiritur simula-
 tio confessionis. Sin minus, cum
 in re lex Gregorii XV sit identica
 cum Benedicti XIV lege, Suprema
 Inquisitio contradixisset evidenti le-
 gislatoris dispositioni: quod non est
 admittendum.

Eiusmodi vero responsioni ad
 quaestionem XV non contradicit
 neque responsio ad quaestionem IV,
 neque Pauli V decretum quod ex
 S. Alphonso supra attulimus. Ete-
 nim ex quaestione IV non exclu-
 ditur, sed aperte includitur simu-
 latio confessionis: En quaestio: An

» Confessarius qui foeminae in con-
 » fessionario dicenti, se velle in
 » crastinum confiteri, illam sollicitat
 » et confessionem dissuadet, sit de-
 » nunciandus? » R. *Si sollicitatio fiat*
 » *extra locum confessionis, et absque*
 » *praetextu confessionis, censuerunt*
 » *negativam opinionem esse probabi-*
 » *lem; secus in Confessionario, seu*
 » *in loco confessionis.* Unde vero pro-
 batur hoc in loco, a Confessario
 mulierem audiri et sollicitari ante
 confessionarium et non ad latera,
 seu in loco Confessionalis quo con-
 fessiones mulierum excipiuntur? E-
 tenim absolute dicitur, *foeminae in*
confessionario dicenti: porro haec
 locutio potius indigitat locum con-
 fessionarii quo confessiones exci-
 piuntur, quam aliam eiusdem par-
 tem; sicuti locutiones hae: *acces-*
sit, stetit ad confessionarium, etc.
 indigitant locum et modum con-
 suetum quo mulierum confessiones
 audiuntur. De cetero haec etiam
 sententia est cl. Giraldi qui in loc.
cit. pag. 638 scribit: « correspondet
 » (quaestio) enim interrogationi
 » de sollicitatione foeminae in
 » confessionario pariter existentis;
 » seu confessionem simulantis, ut
 » clare patet ex illis verbis: *qui*
 » *foeminae in confessionario dicenti*
 » *se velle in crastinum confiteri,*
 » *illam sollicitat.* Cui propterea
 » correspondens responsio fuit, quod
 » si sollicitatio talis foeminae fiat,
 » ea adhuc existente in confessio-
 » nario, seu in loco confessionis,
 » tunc confessarius est denuncian-

» dus... Si vero fiat, extante extra
 » locum confessionarii et absque
 » praetextu confessionis, tunc in-
 » quit suprema, opinio negativa
 » est probabilis, prout postea ad
 » XV respondit negativam opinio-
 » nem esse probabilem, etiamsi
 » confessarius sedeat in confessio-
 » nario dummodo non simuletur
 » confessio. »

Demum regula iustae interpre-
 tationis est, auctoris eiusdem testi-
 monia concilianda esse si conciliari
 possint, nec enim supponendi sunt
 auctores sibi in eadem pagina con-
 tradicere; quod multo magis de
 decretis Romanarum Congregatio-
 num dicendum est, quae tanta di-
 ligentia antea expenduntur: Atqui
 hoc in decreto ratio conciliationis
 evidentissima est si in quaestione
 quarta dicamus, Supremam Inqui-
 sitionem locutam esse de muliere in
 confessionario ea dicente ad locum
 solitum ideoque cum simulatione
 confessionis, quam simulationem si
 excludamus, turpissima intercederet
 contradictio inter quartam et XV
 quaestionem, scilicet in eadem pa-
 gina; quod nemo admiserit.

Eadem sed verò ratione conci-
 liatur Decretum Pauli V; etenim
 in illo excluditur quidem occasio
 confessionis, non autem simulatio;
 quae imò supponitur, cum dicantur
 multi confessarii *tractare cum mu-*
lieribus in Confessionali... de rebus
inhonestis: porro hi confessarii non
 adeo stupidi supponendi sunt ut
 de rebus inhonestis ante confes-

sionale tractare cum mulieribus ve-
 lint, quo ex modo loquendi, aspectu,
 oculis etc. ab adstantibus detegantur.
 Cum insuper et hoc in loco con-
 suetus loquendi modus servetur,
 intelligere debemus, Confessarios
 inhonestos illos sermones habuisse
 ad laminam Confessionalis, ideoque
 in illis turpissimis factis interces-
 sisse simulationem confessionis.

Quae sententia etiam fuit Be-
 nedicti XIV, prout scribit Giraldi
loc. cit. pag. 638 his verbis: « Be-
 » nedictus XIV quando adhuc erat
 » tantum Cardinalis, ac Bononiae
 » Archiepiscopus, etiam Decretum
 » editum sub Paulo V, procedere
 » dicebat in casu, quo simuletur
 » confessio. Ideo enim prodiit, quia
 » relatum fuerat *quod multi con-*
 » *fessarii tractant de rebus inho-*
 » *nestis cum mulieribus in confes-*
 » *sionali extra occasionem confes-*
 » *sionis*: ubi *Ly tractant cum mu-*
 » *lieribus in confessionali*, satis de-
 » signat coexistentiam mulierum in
 » tali loco. Et de facto tale decre-
 » tum excludit quidem occasionem
 » sed non simulationem confes-
 » sionis. » Ex his vero satis patere
 arbitramur illorum sententiam qui
 dicunt, etiam in confessionali inter-
 cedere debere simulationem confes-
 sionis magis esse conformem latis
 a Suprema Inquisitione decretis,
 ideoque prae alia tenendam.

Sed 3. contrariae sententiae ar-
 gumenta solida non videntur.

Primum ita dissolvit cl. Giraldi
loc. cit. pag. 638 Col. 2: Ad se-

cundum quod attinet dico, quod sicut particula *aut* disiungit ac distinguit a casu antecedenti *Ly in loco quocumque etc.*, ita subsequens particula *seu* pariter distinguit casum loci electi ad ibi confessionem audiendam a praecedenti casu loci cuiusque ad confessiones audiendas deputati; ac proinde si *Ly simulantes* ex quo sit terminus restrictivus, afficit solum casum proximum, hinc fit quod afficere non debeat *Ly aut in loco quocumque etc.*, sed *Ly seu ad confessionem electo*; alius enim est locus quicumque ad confessiones audiendas deputatus, et alius locus electus ad confessionem vel confessiones audiendas. Atqui non obstante dicti termini restrictivitate, *Ly simulantes* per adversarios extenditur etiam ad *Ly aut in alio quocumque loco*; ergo non afficit solum casum proximum, et sic, cum hactenus nulla adducta sit ratio, quae revera probet, ipsum non posse extendi ad *Ly extra occasionem confessionis in confessionario*, huiusmodi extensionem permittant eandem admittentibus cum adducto fundamento solide probabili, vallato ea quoque communi regula legali: *clausulae ultimo loco positae ad omnia antecedentia connexa referuntur.*

Nutat pariter altera ratio ex eo deducta quod in confessionali per se iniuria irrogetur Sacramento poenitentiae cum ad hoc administrandum deputatum sit. Etenim cum in Confessionali non simulatur confessio,

nulla irrogatur iniuria Sacramento, cum nullo pacto de Sacramento agatur; atque de cetero Pontificiae constitutiones expresse loquuntur de iniuria quae fit per sollicitationem Sacramento poenitentiae quocumque in loco administretur; atque exinde gravissimis, imo iisdem poenis punire confessarios sollicitantes quocumque in loco sollicitant, sive in confessionali, sive in loco destinato aut electo. Demum quando confessarii in loco destinato aut electo sedent, locus iste confessionali aequiparatur; eadem ergo iniuria illo actu irrogatur Sacramento poenitentiae. Nemo enim ambigit quod quando iis in locis sedeat confessarius, et genuflexus stat poenitens, administretur Sacramentum poenitentiae. Sicut nemo putat administrari Sacramentum poenitentiae in confessionali quando nulla adest simulatio confessionis, etiam ea de causa quia Confessionale unice ad administrandum eiusmodi Sacramentum deputatum est praescripta forma et ritu.

Nemo tamen arbitretur, ad simulandam confessionem requiri simulandi intentionem, ita ut non habeatur simulatio si desit simulandi animus; etenim simulatio eiusmodi consistit in facto, ita ut sine ulla vel attentione vel simulandi animo habeatur simulatio dum requisita externa de more ponuntur, eo vel magis quod simulatio relative ad adstantes potius requiratur, quam ad Confessarium vel poeni-

tentem; illi vero confessionem arguunt ex facto et non ex intentione; atque de cetero Confessarii singuli se simulasse confessionem negare possent, affirmando se nullam habuisse simulandi intentionem, quod lex in irritum ab improbis sacerdotibus mitteretur. Recte hinc et vere scribit Passerini *Commentaria in lib. VI Decretalium, lib. V. De haereticis Cap. XVIII, n. 95.* « Bene tamen advertendum quod » ad hoc non requiritur animus » simulandi sed sufficit simulatio » ex parte facti; quia scilicet loquutio ipsa poenitentis cum confessario in facto est apparens, et » ideo simulata confessio. »

Ad denunciandum sed vero confessarios satis est ut hi in Confessionali, vel in locis destinatis, aut electis ad turpia provocent sive *verbis*, quibus vera et propria dicta sollicitatio, seu ad turpia provocatio perficitur, *sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam*; quae plana sunt; *aut cum eis poenitentibus illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint.*

Haec vero superius pag. 157 in nota exposuimus. Attamen hoc in loco animadvertendum esse putamus, inhonestos sermones atque tractatus tum solum denunciandos esse cum fiunt *ausu temerario*. Hic autem tum habetur cum Confessarius sciens legem et poenam adnexam utramque contemnit; hinc postulat

voluntarium perfectum atque directum. Confessarius igitur tunc dicens est *ausu temerario* habere cum poenitentibus illicitos et inhonestos sermones sive tractatus, cum nulla intercedente causa et probabili ratione, libidinis vel pravae delectationis causa, eiusmodi inducit sermones sive tractatus, directe scilicet et prorsus voluntarie; idque quamvis noverit legem prohibentem et adnexas poenas. Si enim indirecte, vel per accidens, vel casu, vel ad alium finem quam turpis delectationis causa hosce sermones habeat, denunciandus non videtur cum desit *ausus temerarius*.

Hoc in casu tamen non incipiamur difficillimum esse percipere quando sermones inhonesti habitus a sacerdote fuerint ausu temerario, ideoque numquam satis commendanda in casu est prudentia Confessarii ad quem haec peccata deferuntur, antequam onus denunciationis poenitenti imponat. Omnino enim certus esse debet, sermones eiusmodi ausu temerario habitos fuisse; poenitentem igitur interroget an de aliquo peccato turpi sese accusaverit; quae si neget quaerat, an saltem de tentationibus carnalibus; quod si pariter neget, interroget qua occasione inhonesti sermones initium habuerint, atque si perspiciat illos a Confessario positos fuisse nulla de causa, et turpes prorsus fuisse, malum et directum Confessarii turpem animum arguat, et denuncia-

tionis onus imponat; si autem poenitens vel alterutrum, vel utrumque affirmet, sedulo exquirat interrogationes a Confessario factas, an, nec ne, necessariae fuerint, vel saltem conducentes ad ulteriorem peccati notitiam, eius circumstantias detegendas etc.; insuper an de admissis peccatis contra sextum illam corripuerit, et ad tentationes superandas opportuna praebuerit monita; si enim affirmet, deesse videtur turpis animus, ideoque voluntarium directum et ausus temerarius; si autem neget, iterum arguat turpem Confessarii animum et voluntarium directum, cum ad eum pertineat peccata redarguere, ab iis poenitentes retrahere, et opportuna remedia contra tentationes suggerere; quod cum praetermiserit supponendus est inhonestos sermones ausu temerario habuisse.

Dicturi tamen erunt plerique lectores: nonne ausus temerarius importat in Confessario etiam scientiam legis et poenae adnexae, et utriusque contemptum? At quomodo a poenitente sciri poterit haec in Confessario fuisse?

Respondemus, in Confessario opportunam scientiam supponendam esse; quilibet enim ad aliquod officium electus, sui officii scientiam callere debet. Factum itaque spectandum est, et ex facto ausus temerarius est arguendus. Ni haec

(1) Decretum fuisse a supremis Inquisitoribus sub die 17 Novembris 1624 Confessarios sollicitantes non esse cogendos ad denunciandum seipsos, refert Carboneanus *De poenitentia* pag. 139. Edit. 1793.

dicamus, Confessarii ex titulo hoc numquam essent denunciandi, cum de ipsorum tum legis tum poenae cognitione, tum utriusque contemptu, paucis de ipsorum ausu temerario numquam constare posset; vel tunc tantum cum ipsi ad tribunal poenitentiae accedunt; at onus denunciandi non confessariis sollicitantibus (1) sed poenitentibus sollicitatis impositum est.

Omnes igitur confessarii qui turpissimis recensitis actibus sese relate ad Sacramentum Poenitentiae commaculaverint, denunciandi sunt. Neque poenitentes possunt absolvi nisi prius denunciaverint; id enim in cit. Benedicti XIV. Constitutione *Sacramentum* solertissime cautum est: «Ca-» veant insuper diligenter confes-» sarii, ne poenitentibus, quos no-» verint iam ab aliis sollicitatos, » sacramentalem absolutionem im-» pertiant, nisi prius denuncia-» tionem praedictam ad effectum » perducentes delinquentes indica-» verint competenti iudici.» Excipiendum tamen semper dicimus et grave incommodum, et gravis damni periculum; quae ex superius disputatis constant.

III. Circa modum denunciationis faciendae contenti erimus exscribere et referre Instructionem, quam Suprema Universalis Inquisitio tulit die 20 Febr. 1867. Ea porro ita se habet:

S. R. ET U. INQUISITIONIS INSTRUCTIO AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS CIRCA OBSERVANTIAM CONSTITUTIONIS S. M. BENEDICTI XIV, QUAE INCIPIT: SACRAMENTUM POENITENTIAE.

Quae supremus Pontifex gl. mem. Benedictus XIV, in Constitutione die 1 Junii 1741 edita, cuius initium est *Sacramentum Poenitentiae*, confirmavit ac decrevit, ea ad haec quatuor maxime capita reducuntur. Imprimis quemadmodum iam antea sancitum fuerat, praesertim a Gregorio XV, Constitutione quae sub die 30 Augusti anno 1622 data incipit: *Universi*, omnes locorum ordinarii aequae ac Inquisitores deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in confessione, quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet exemptos. Ibidem omnes Sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, sicut antea quoque praescriptum erat, obligantur monere suos poenitentes, ut sollicitantes huiusmodi quamprimum poterunt Inquisitoribus aut locorum ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Praeterea tertio loco Apo-

stolicae Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus qui innocios Sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique sacerdoti cuilibet omnis facultas et iurisdicatio ad Sacramentales confessiones personae complicitis in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter Sacerdos desit, qui confessarii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exortura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat. (1) Et apostolicae Sedi reservatur eorum confessariorum casus, qui complicitem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

Nullum sane dubium est, quin hae praescriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulae in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum *inconcusse ac inviolabiliter* observandae sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV et Benedicti XIV Constitutiones evidentissime patet; et idipsum consequentium Pontificum suffragio, prout se occasio dedit, ad hanc usque diem confirmatum est.

Et re quidem vera Vicario Apostolico Cocincinae sciscitanti: 1. *An Constitutio Benedicti XIV ad-*

(1) Constit. eiusdem S. P. Benedicti XIV. *Apostolici muneris* die 8 Februarii 1745.